Instructio

super matrimoniis mixtis ad Universum Clerum Dioeceseos Premisliensis rit. lat.

Sanctissimus Dominus noster Papa Gregorius XVI. annuendo benigniter petitionibus Archiepiscopi et Episcoporum hujus Provinciae, editam sub 22da Maji 1841. ad Archiepiscopos et Episcopos ditionis Austriacae in foederatae Germaniae partibus Instructionem ratione modalitatum in matrimoniis mixtis observandarum, ad hocce Galiciae Austricae Regnum sub 16. Julji 1842. gratiosissime extendere dignatus est; cujus instructionis Apostolicae Auctoritate Caesareo - Regia per appositum dto 8. Augusti 1842. Placetum regium firmatae, exemplum Universo Clero Nostro dioecesano communicare non tardamus.

Copia Instructionis.

ad Archiepiscopos et Episcopos Austriacae ditionis in foederatis Germaniae partibus.

„Cum Romanus Pontifex, pro imposito sibi divinitus Apostolici Officii munere, sa-„crae doctrinae integritati cavere studiosissime debeat, non potest non moleste ferre, gravi-„terque improbare, quidquid in earum discrimen induci fortasse contingat. — Exploratum por-„ro satis superque est, quid Ecclesia de matrimoniis Catholicos inter et Acatholicos perpetuo „senserit. — Ipsa nimirum tamquam illicitas, planeque perniciosas semper habuit ejusmodi „nuptias, tum ob flagitiosam in divinis rebus communionem, tum ob impendens catholico „conjugi perversionis periculum, pravamque sobolis institutionem. — Atque huc omnino per-„tinent antiquissimi Canones, illas severe interdicentes, et recentiores Summorum Pontificum „Sanctiones, a quibus speciatim recensendis juvat abstinere, cum ea abunde sufficiant, quae „in rem disseruit insignis memoriae Pontifex Benedictus XIV. in encyclicis litteris ad Polo-„niae Regni Episcopos, atque in celebratissimo opere, quod de Synodo dioecesana inscriptum „est."

„Quodsi aliquid de canonum severitate remittens Apostolica Sedes, mixta istiusmodi „matrimonia quandoque permisit, id gravibus duntaxat de causis aegreque admodum fecit, „et nonnisi expressa sub conditione de praemittendis opportunis cautionibus, non modo ut „conjux catholicus ab acatholico perverti non posset, quin potius ille teneri se sciret ad „hunc pro viribus ab errore retrahendum, sed insuper ut proles utriusque sexus ex hisce „conjugiis procreanda, in catholicae religionis sanctitate omnino educaretur. — Quae certe „cautiones in ipsa naturali ac divina lege fundantur, in quam procul dubio gravissime pec-„cat, quisquis se vel futuram sobolem perversionis periculo temere exponat."

„Jam vero accepit non ita pridem Sanctissimus Dominus Noster Gregorius divina „providentia Papa XVI., per istas Dioeceses Austriacae ditionis in foederatis Germaniae par-„tibus abusum passim invaluisse, ut matrimonia catholicos inter et acatholicos, nulla licet „accedente Ecclesiae dispensatione, nec praeviis necessariis cautionibus, per catholicos Paro-„chos benedictione, sacrisque ritibus honestarentur. — Ac propterea facile intelligitur, quo „dolore exinde affici debuerit, maxime cum invectam ita, lateque propagatam perspiceret „omnimodam mixtarum nuptiarum libertatem, atque adeo magis in dies promotum funestis-„simum uti vocant indifferentismum in religionis negotio intra vastissimae illius ditionis fines,

„quae catholico nemine tantopere gloriatur. Nec sane sanctissimi, quo fungitur muneris „partes fuisset praetermissurus, si res ante innotuisset. Hanc autem pontificii silentii causam „ex eo etiam pronum est conjicere, quod vel nuperis temporibus nulla prorsus ad promiscu- „as nuptias istic ineundas Apostolica dispensatio fuerit concessa, nisi praescriptis necessariis „conditionibus, injunctisque regulis, quae ex Sanctae Sedis instituto observari consueverunt."

„Inter haec tamen non parum solatii Sanctitati Suae collatum est, quod una pariter „noverit, plerumque earundem Dioecesium Antistites, permotos praesertim Apostolicis in rem „ipsam declarationibus, ad alias regiones spectantibus, pastorali sollicitudine incubuisse ad „praxim illam, uti Ecclesiae principiis et legibus adversantem, pro viribus tollendam. — „Proinde debitas rependens laudes ipsorum zelo, Sanctissimus Dominus eos hortari, ac ve- „hementius etiam excitare non desistit, ut constanti studio pergant, catholicae Ecclesiae „doctrinam ac disciplinam tueri, solertissime curantes, ne pravus usus reviviscat, atque ubi „adhuc superest, illius germen funditus eradicetur."

„Verum non potuit Sanctitas Sua non mature respicere ad maximas difficultates et „molestias, quibus memorati Antistites, subditusque iis Clerus identidem premuntur, quem- „admodum liquet ex litteris, quas Archiepiscopi earum regionum ad ipsam Sanctitatem Suam „miserunt, opportunum super gravissimo hoc negotio Apostolicae Auctoritatis auxilium at- „que adjumentum implorantes. — Cupiens hinc, salvis catholicae doctrinae principiis, unde „nec minimum deflectere fas est, quantum pro Supremi Apostolatus munere valeat, subve- „nire difficilibus istarum Dioecesium circumstantiis, ortasque indeAntistitum angustias minu- „ere, eam ibidem statuit adhibendam, et praesenti Instructione significandam tolerantiae pru- „dentiaeque rationem, qua Apostolica Sedes mala ista patienter solet dissimulare, quae vel „impediri omnino nequeunt, vel si impediantur, funestioribus etiam incommodis facilem ad- „itum possunt patefacere. — Siquidem igitur in praedictis Dioecesibus quandoque fiat, „ut, conantibus licet contra per debitas sunsiones hortationesque sacris pastoribus, catholi- „cus vir aut mulier in contrahendi mixti matrimonii citra necessarias cautiones sententia „persistat, et aliunde res absque praevioris mali scandalique periculo in religionis perniciem „interverti plane non possit: simulque in Ecclesiae utilitatem et commune bonum vergere „posse agnoscatur, si hujuscemodi nuptiae, quantumvis illicitae ac vetitae, coram catholico Pa- „rocho potius, quam coram Ministro acatholico, ad quem partes facile fortasse confugerent, „celebrentur, tunc Parochus catholicus, aliusve Sacerdos ejus vice fungens, poterit iisdem nuptiis „materiali tantum praesentia, excluso quovis ecclesiastico ritu, adesse, perinde acsi partes „unice ageret meri testis, ut ajunt, qualificati seu authorizabilis, ita scilicet, ut utriusque „conjugis audito consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum „librum referre queat. His tamen in circumstantiis haud imperi, imo impensiori etiam co- „natu et studio per praenuntiatos Antistites et Parochos elaborandum erit, ut a catholica par- „te perversionis periculum, quoad fieri possit, amoveatur, ut prolis utriusque sexus educa- „tioni in religione catholica, quo meliori liceat modo prospiciatur, atque ut conjux catholi- „cae fidei adhaerens serio admoneatur de obligatione, qua tenetur, pro viribus curandi aca- „tholici conjugis conversionem, quod ad veniam patratorum criminum facilius a Deo obtinen- „dam erit opportunissimum.

„Caeterum Sanctissimus Dominus intime dolens, quod haec tolerantiae ratio erga „ditionem catholicae fidei professione insignem fuerit ineunda, Antistites ipsos per viscera „Jesu Christi, cujus personam in terris gerit, tota animi contentione obtestatur, ut id de- „mum in tam gravi negotio agere studeant, quod implorato Spiritus Sancti lumine, istius- „modi fini revera consueverit respondere, atque illud una sategant, ne tali tolerantiae ratio- „ne erga homines mixta connubia illicite contracturos contingat, ut in catholico populo „extenuetur memoria Canonum ea matrimonia detestantium, et constantissimae curae, qua „S. Mater Ecclesia filios suos avertere studet ab illis in suarum animarum jacturam contra- „hendis. — Quare eorundem Antistitum et Parochorum erit, in erudiendis sive privatim „sive publice fidelibus, flagrantiori in posterum zelo doctrinam et leges ad ea connubia per- „tinentes commemorare, accuratamque illarum custodiam injungere. — Quae quidem omnia „ex spectata illorum religione, fide, et in B. Petri Cathedram reverentia Sanctitas Sua sibi „certissime pollicetur. — Datum Romae die 22. Maji anni 1841. . . Card. Lambruschini."

„Sanctissimus Dominus Noster Gregorius divina providentia Papa XVI. attente re- „spiciens ad graves causas expositas in litteris ad Sanctitatem Suam missis ab Archiepiscopo „et Episcopis Regni Galiciae Austriacae, eorumque precibus benigne annuens, praesentem In- „structionem ad memoratas etiam regiones extendit. Datum Romae die 16. Julii 1842. A „Card. Lambruschini (L. S.)"

„$^{24862}/_{3556}$ Huic Instructioni pontificiae, in quantum tenor ejus juribus et Ordina-
„tionibus Caes. Regiis non adversatur, Placetum regium conceditur. Per Secr. Caes. Reg. Ma-
„jestatem. Viennae die 8. Augusti 1842. Rudolphus L. B. Forgatsch Secretarius Aulicus. (L. S.)"

Hisce Sacrae Sedis Apostolicae benignissimis litteris insistentes, Clero Nostro dioecesano sequentia praescribenda duximus:

1. Conformiter praefatae instructioni Parochi omni studio et conatu elaborabunt, ut in ineundis Matrimoniis mixtis periculum perversionis a parte catholica, quoad fieri possit, amoveatur, et prolis utriusque sexus educationi in religione catholica prospiciatur atque ut conjux catholicae fidei adhaerens serio admoneatur de obligatione, qua tenetur, curandi pro viribus acatholici conjugis conversionem.

   Quum vero in ditionibus Augustissimae Austriacae domus ex legibus tolerantiae aliunde a sponso catholico omnes proles in religione catholica educari debeant, hinc si sponsus fuerit acatholicus, partium erit concernentium Parochorum, omni studio adhortari sponsam catholicam, ut omnium ex hoc matrimonio procreandarum prolium educationi in Sancta religione catholica, quam solam veram credit ac profitetur, provideat, anteponendo ei, quam gravem culpam adversus Deum, propriam conscientiam, et omnimodam prolium salutem incurreret, si vel aliquas prolium suarum in eadem religione catholica, quam unicam veram esse cet convicta, educari non studeret.

2. Si sponsus acatholicus in educationem prolium utriusque sexus in sancta religione catholica consenserit, Curatus eidem Altissimum C. R. Rescriptum mediante Excelsi C. R. Gubernii Decreto dto 10. Augusti 1842. Nro 47414. ad Nm Consist. 1373. dto 30. Augusti 1842. communicatum perleget et explicabit. Deinde factam promissionem scripto exarari, et a sponsis aeque ac duobus testibus subscribi Parochus curabit, formula promissionis sermone vernaculo his verbis concepta: *Ego N. N. licet acatholicus, ducens uxorem Catholicam N. N., adpromitto, me omnes ex hoc matrimonio procreandas proles absque sexus discrimine in religione catholica educare velle, attestando, tenorem Altissimi C. R. Rescripti per Excelsum C. R. Gubernium dto 10. Augusti 1842. Nro 47414. promulgati, mihi intimatum et declaratum extitisse.*"

3. Appromissa educatione omnium prolium in religione catholica, — matrimonium tale Curatus more solito secundum Rituale Romanum benedicere poterit; praedictam vero declarationem super educatione omnium prolium in doctrina catholica, in Libro Copulatorum quoque inscribet, et a Sponsis una cum duobus testibus subscribi faciet.

4. Si vero nequidquam hortante Parocho, Sponsi in educationem catholicam omnium prolium consentire noluerint, declarabit illis Curatus, sibi non licere matrimonium tale benedicere.

5. Sponsis autem nihilominus in proposito suo ineundi matrimonium perseverantibus — si requisita documenta produxerint, ex quibus nullum aliud impedimentum obversari prodit, Curatus consuetas proclamationes matrimoniales faciet, in patientia expectando, utrum sponsi consilium suum effectui dare adnisuri sint.

6. Si tamen Sponsi a Parocho matrimonio jungi institerint, hic sequenti modo procedet: praehabitis scilicet omnibus aliis de lege praescriptis, in sua parochiali domo, non vero in Ecclesia aut Sacristia, in indumentis status sui Clericalis, non in indumentis sacris aut stola, consensum ab utroque Sponso absque ulla benedictione aut oratione, sed ut dicitur mere passiva assistentia excipiet, sponsae catholicae iterum cum omni lenitate, ac simul gravitate significando, se illius actum qua illicitum et peccaminosum reprobare debere. Dein vero exceptam simpliciter declarationem, sive superius exaratum utriusque sponsi consensum, in libros metricales secundum consuetas rubricas inferet, suum autem nomen Curatus non qua Minister benedicens, sed sequenti modo subscribet: *Coramme: N. N.*

7. Si deinde super facta tali declaratione matrimoniali testimonium metricale postuletur, illud sequenti modo extradendum erit: „*Ego infrascriptus attestor: N. N. et N. N. post praemissas promulgationes, die..... anni.... coram N. N. Parocho et duobus testibus N. N. et N. N. matrimonium inivisse.*

8. Natae de tali matrimonio proles qua legitimae libris natorum inscribendae sunt, earumque educatio religiossa secundum altissima praescripta Suae C. R. Majestatis observabitur.

9. Si Sponsi matrimonium mixtum inituri in diversis Parochiis habitent, ideoque testimonium super promulgatis bannis extradendum veniat: testimonium illud modo consueto extradatur, facta tamen expressa adnotatione, utrum Sponsi catholicam prolium educationem appromiserint, nec ne, ut scilicet alter Parochus sciat, quomodo eum in excipienda matrimonii declaratione procedere oporteat.

10. Si viventes in mixto matrimonio Parochiam mutent, haec habitationis mutatio vel Consistorio vel concernenti Parocho illico indicanda erit, ut scilicet prolium educatio ubivis superinvigilari possit.

11. In casu merae passivae Curati assistentiae nulla taxa stolae vel potestari, vel etiam oblata accipi debet.

Horum jam strictam observationem dum Clero Curato per praesentes injungimus, cujusvis Parochi conscientiae atque religioso zelo, aeque ac charitati christianae et Pastorali prudentiae plene confidimus.

Premisliae die 31. Octobris 1843.

FRANC. XAV. EPPUS.

Adalb. Dziama
Cancellarius.